

net *Hieracium* inter, et *Crepidem* medium, quod ab Alliono (1) *Svertiae*, a Jussieuo (2), et Des-Fontaines (3) *Drepaniae* nomine fuit indigitatum. Ego verò dum Lamarckii nomen amplector, ad numerum setularum pappi genus actare nequeo; nam species hìc describendæ, quarum pappus setularum numero distat, adèd inter se se affines sunt, ut nullimodè separari queant.

I I I.

TOLPIS umbellata: floribus lateralibus altioribus, rameis subumbellatis: involucris setaceis, calice sublongioribus: pappo quadri-seto. *Nob.*

Solo aridiori orta fit minor, foliis serratis, floribus subternis; tuncque est

Hieracium proliferum falcatum. Moris. Oxon. s. 7. t. 4. f. 32.

Florèt Iulio. Reperitur Sarzanæ ad viarum margines circa S. Francisci cœnobium; tum in collibus dictis *Sarzanello*, & *Montedarmalo*.

Caulis erectus, angulosus, tripedalis & ultra, jam a basi ramosus, ramis strictis. Folia alterna, angusta, acuta, superiora successivè minora; inferiora lanceolata, in petiolum attenuata, sinuata, laciniis sursùm versis; intermedia simpliciter serrata; suprema linearia, integerrima. Flores parvi, vix semipollicaris diametri, toti luteo-pallescentes, solitarii in api-

(1) *Allio. Flor. Ped. tom. 1 pag. 208.*

(2) *Gen. plant. pag. 189. Drepania.*

(3) *Des-Fontaines. Flor. Atl. tom. 2 p. 232. Drepania.*

ce caulis, ramorum, & pedunculorum. Pedunculi in summitate ramorum congesti, inæqualiter umbellati, laterales flore centrali altiores, eodem modo, quo rami superiores excedunt florem cauli terminalem. Calix albo polline adpersus, florifer cylindricus, fructifer clausus, conicus, basi cinctus involuero ex bracteis setaceis, laxis, paullo illo longioribus, queis apex quoque pedunculi adpersus. Pappus ex setis quatuor, simplicibus, sessilibus. Semina matura nigrescunt. Receptaculum nudum.

Planta leviter pubescens, interdum hinc inde glabra.

Speciem forsitan cum *Crepide barbata* L. hucusque confusam descripsi. Folia profundius incisa, caulis longior, flores congesti, & irregulariter umbellati in ramorum apicibus, bracteæ vix calicem superantes, totus flos pallidè sulphureus, nec discolor, pappus quadrisetus satis nostram speciem ab illa distinguunt. An eadem ac

Hieracium annuum Chondrillæ folio, calyce barbato viridi brevior. *Moris. Oxon. par. 3. pag. 68. n. 37. ?*

In aridiori solo pedalis, vel sesquipedalis reperitur: folia sunt minora, serrata: flores in caulis vel ramorum apicibus bini, terni. Color tamen floris, longitudo bractearum, pappus quadrisetus constantes sunt. Jam citata Morisoni icon ad hanc varietatem pertinet, ut pappus quadrisetus ibi pictus satis demonstrat, quamvis auctor & nomen, & ipsam C. B. descriptionem (1) *Crepidii barbatae* L. tributam iconi

conjunxerit . Hinc delenda hæc Morisoni synonymia a *Crepide barbata Enc.* , & a *Drepania barbata Des - Fontaines* (1) .

I V.

TOLPIS virgata : floribus lateralibus altioribus , rameis paucis , remotis , alternis : involucris setaceis , calice longè brevioribus . *Nob.*

Floret , & reperitur cum præcedente præcipuè in colle dicto *Sarzanello* .

Caulis , folia , florum color , & dimensio ut in *Tolpide umbellata N.* Rami gerunt unum usque ad tres flores super pedunculos alternos , & inter se dissitos , quorum superiores excedunt florem ramo terminalem , ut extimi rami extolluntur super florem terminalem cauli . Calix basi cinctus bracteis laxiusculis , setaceis , ipso longè brevioribus . Pappus ex sex , vel septem setis simplicibus , sessilibus constans . In reliquis convenit omninò cum præcedente .

Des-Fontaines aliam speciem sub nomine *Crepidis virgatae* nostras inter *Tolpides* mediam describit (2) .

V.

FESTUCA phleoides : panicula spiciformi , strictissima , pubescente : pedunculis ramosis : gluma florali interna bifida , externa breviter aristata . *Nob.*

Festuca phleoides . Allion. Auct. ad Flor. Pedem. n. 2249. pag. 2.

Festuca phleoides . Des - Fontaines Flor. Atl. tom. 1. pag. 98. tab. 23.

(1) *Flor. Atl. tom. 2. pag. 233.*

(2) *Flor. Atl. tom. 2. p. 230.*